



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

Pie relaxandi animum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

HORA XI.

Relaxatio Animi.

§. I.

De fine recreationis.

I. **C**ùm à mensa statim studia resumere
sanitati minimè conducatur, sapien-
ter à Societate quædam animi relaxatio in-
stituta est, seu quies cum piè jucundo col-
loquio, amœnam animi remissionem præ-
bens. Hujus finis est nova alacritas & vi-
gor ad labores mentis, & studia postmo-
dum resumenda ad gloriam Dei. Deinde
mutua inflammatio in spiritu, & fraternæ
charitatis conservatio. Deniq; habitus col-
loquia spiritualia miscendi cum proximis.
Hos fructus expertus est, præter alios, piis-
simus Joannis Bergmannus, qui è meri-
diano colloquio aiebat se novos spiritus
colligere in reliquum spatium diei; ve-
spertinâ autem colloquutione adjuvari, ad
instituendam ardentius meditationem,
communioneq; diei sequentis. Quare vi-
deri sibi divinitus instinctos fuisse Patres,
qui in sextis Comitibus Generalibus, horæ
illius geminæ remissionem, non levibus

rationum machinis oppugnatam, constanter retinendam censuissent, quando tantus ex ea fructus existere sentiatur. *In vita pag. 33.*

II. Cùm P. Claudius Anno 1582. rescripserit Magistris non licere, abesse à recreatione sine expressa venia: ab ea Scholasticus non se separet, nec eo tempore literis operam det: ex hoc enim studio morbos & mortem præmaturam enasci docet experientia. Accommodet ergò se uti in hoc, sic & in aliis communi Societatis consuetudini, Quidam in Provincia nostra Tironum Magister suadebat Novitiis cogitandum sæpius: Quid si omnes id agerent? quid si omnes è recreatione emanerent? cùm loquendum, tacerent, cum tacendum loquerentur; quæ inde confusio & perturbatio sequeretur: *Est tempus loquendi, & est tempus tacendi*, ait Eccl. c. 3. Tantum laborandum ut pie, hilaritéq; tempus illud transigamus. Ut vir ille sanctus è Societate: qui interrogatus, quid acturus esset, si finitâ recreatione moriendum sibi foret: Respondit, quod nunc ago, agerem, & ex obedientia animum piè relaxarem.

De mediis obtinendi linguam
spiritualem.

1. **M**edium est solida rerum divina-
rum meditatio. 2. Multa Scriptu-
rae Sacrae, Interpretum, & asceticorum le-
ctio. 3. Sedula ad conciones & lectiones
mensae attentio. 4. Crebra doni linguae spi-
ritualis petitio. 5. Intimus amor rerum spiri-
tualium. *Ex abundantia cordis os loquitur. Et
hoc quisque ructat, quod bibit.* 6. Continua
exercitatio, fabricando fabri simus. 7. So-
lers annotatio & praeparatio ad pia collo-
quia. Si enim Filii hujus saeculi adversaria
conficiant, silvamque rerum doctarum &
curiosarum conquirant, ad facundem de re
quavis mundana differendum: quidni Re-
ligiosi, tanquam Filii lucis, illud imitentur
in industriis Spiritus & aeternae salutis, non
ad vanitatem, sed Dei majorem gloriam?

Methodum haec adversaria conficiendi
lege in Aurifodinâ P. Drexelii, qui ipse,
quidquid audiebat in colloquiis, vel lege-
bat in Libris, vel observabat in mensis,
quod doctum, pium, rarumve esset, sedulo

De medijs obtinendi linguam spiritualem. 173
annotabat, eóq; libros suos, quos edebat,
præclaros, mirificè locupletabat. Quod
si Scholaſtici noſtri imitarentur, quantam
rerum rariffimarum copiam vel ex ſola
lectione ſuper menſam, vel ex Librorum
Spiritualium lectione conquirerent, ad diſ-
curſus audientibus & colloquentibus lon-
gè utiliffimos? P. Martinus Stredonius
duodecim fontes invenerat, è quibus juxta
Monitum Eccli. 9. *Omnis enarratio ejus
in præceptis altiffimi ſcaturiebat. Vide vi-
tam c. 9.* P. Wenceſlaus Schwertfer fon-
tes colloquiorum 35. faciendos docet. In
Diario. p. 2. v. g. 1. De Deo & Chriſto. 2.
De Eccleſia. 3. De Conſcientia. 4. De vi-
tis Sanctorum. 5. De Noviffimis. 6. De
Memorabilibus locorum &c. P. Hiero-
nymus Natalis catalogum contexuit ma-
teriarum, de quibus in recreatione loqui
poſſumus, approbatum à Congregatione
6. & 7. Generali. *Vide eum in Inſtr. 13.*
P. Claudii de renovatione Spiritûs.

*Plura de recreatione in Horologio
Sacerdotali.*

HQ.